Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26379
Copyright: Admont, Benediktinerstift



culpa. in euglio peccatorum auferuntur exordia. In lege
quatuor gradus uidentur esse uindicte. Primus est ne
lesus ulciscatur se grauius. sed quem lex posuit dicens
oculum pro oculo ne uindicta iniuriam transeat. Et hec est
inchoatio pacis. Perfecta hic pax est tale penitus nolle
uindictam. ad quam perfectam perueniendam duo gradus adhuc
restant id est ut non reddat tantum sed minus. uerbi gratia.
pro duobus pugnis unum reddat. aut pro auulso oculo
aurem precidat. Ad terciam peruenit dum nichil mali repen
dit immo bonum pro malo. nec tamen adhuc ibi est quod ait.
non resistere malo id est non solum irrogatum non rependas sed etiam
ne aliud irrogetur non resistas. quod etiam consequenter exponit
dicens. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam prebe
illi et alteram. Non enim ait tu percutere noli. sed adhuc
ad percutiendum te para. Docens medicus animarum ut
quorum saluti consulere uellent eorum imbecillitates equo
animo tolerarent. Mystice iubemur percutienti alteram
prebere dexteram non sinistram quam iustus non habet. id est si nos
hereticus in disputatione percusserit et dextrum dogma
uulnerauerit opponantur ei dextere. id est alia testimonia
descripturis donec uictus lassescat inimicus.
Et ei qui uult in iudicio contendere et tunicam tuam tollere. re
mitte ei et pallium. Lucas hoc capitulum uersa uice posuit